



Heinricus 4. cognomento Senior, filius fuit
 Heinrici 3 Imperatoris & Agnetis Pictavi-
 ensis comitissæ. Puer penè ob egregiam indolem
 patre uiuente in regem creatus, atque post patris
 obitū sub tutela matris optimè educatus est. Hæc
 enim filij Imperium prudenter quinquennio ad-
 ministrauit, & Fridericum de Glichberg cum fra-
 tribus suis, qui in Germania tyrannidē moliebantur,
 ad deditiōnem compulit. Hic est ille magnanī-
 mus Heros qui bis & sexagies collata acie pugna-
 uit, & plerunq; uictor euasit, in eo M. Marcello &
 Iulio Cæsare superior: Ille inquam qui cum Hilde-
 brando astutissimo monacho Pontifice Romano

qui Gregorius 7 dicitur, & Paschali 2, uarias contentiones de iure imperij ha-
 buit, atq; procul dubio superstitionibus sublatis, Ecclesiam tyrānide pressam
 liberasset, nisi principes & filius successor falsis persuasionibus, & Episcopo
 rū quorundā imposturis, optimo Cæsari restitissent, atq; hac ratione sese & po-
 steros in miseram pontificum seruitutem subiecissent. Propterea cum uariam
 fortunam senserit, atq; inuictō animo semper extiterit, altius eius Historia re-
 petenda erit.